

Bina candelabra argenteę speciei ingentia, scultorio opere mirabiliter polita, DC solidorum numero comparata.

Ampullam quoque ex onichino lapide, tabulas etiam ex indico ebore, inscultam tenentes ascensionem Dei genitricis Marię, solidis emit mille.

Fecit et calicem aureum his versibus in subteriori labro coronatum:

Hoc opus Arnardus¹⁾ Gauzlini iussa secutus,

Construxit domino sanctoque patri Benedicto.

Quem quisquis tulerit, pereat de culmine caeli.

Cappam nihilominus olosericam, albam pariter auro radiantem.

Composuit duo magnifici operis signa, mille D^{tas} metalli libras distribuens per singula.

Et ad ampliacionem monastici honoris clausum vinearum XV redemit concessione librarum, Gilliaco villa situm.

Necnon et alterum prope Loisiacum ab Alberico Soliacensi ducentis recepit solidis.

Tertium vero in prospectu porte curtis Landrandi sua sollertia propagavit.

Pro redemptione alodi, Guadbodeum dicti, XX libras Mainardo dedit.

Fecit et ecclesiam in honore sancti martiris Clementis consecratam.

Novum Vicum etiam lapideo tabulatu fabricavit ecclesiam.

Casam quoque Villę abbatis, cum oratorio sancti Gregorii, et ecclesiam de Belgiaco²⁾, quam pariete reformavit ligneo.

Haec et altaria vicariorum adquisivit precaria: altare de Novo Vico, altare de Tegiaco, altare de Belciaco, altare de Vetulis Mansionibus, altare de Bulliaco³⁾.

38. Post hunc Helgaudus valvas, a castro Selduno delatas, ante altare genitricis Marię ferreo solidatas erexit pondere.

Fecit et precentorialem virgam argenteo scemate nitentem, cuius verticis summitas⁴⁾ fert christallum et lucida gemmarum contubernia, haec subnotans modulamina:

Octonos distingue modos per pneumata⁵⁾, cantor,

Laudibus in cunctis placeas ut iure tonanti.

Regibus et sceptrum, cantoribus est et id ipsum.

Hoc metuunt multi, dum stat censura superbi;

Hoc et amant monachi, stantes in laude parati.

Aurea virga notat, quid rex pro iure sequatur.

Innexus longo cantor dat signa bacillo.

Grex sequitur totus, clare tonat ipsa iuventus.

Hoc Helgaudus⁶⁾ tuus cantor non segnis alumnus

Sollempni de more facit, legemque priorum,

Palmatu baculo, gemmis crustatus et auro.

1) So in der Hs. 2) Bongî, dép. Loiret, c. Neuville (Delisle).

3) Neuvi, c. Neuville. Tigi, c. Jargeau. Vieilles-Maisons, c. Lorris. Bouilli, c. Pithiviers (Delisle). 4) Hs.: sumitas. 5) Hs.: neupmata. 6) Sic!